



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXVI. De Maledicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T V L V S XXV.
DE CLERICO PERCUSSORE.

Clericos, non tantum in minoribus constitutos, sed qui in sacris etiam, sive majoribus constituti sunt, ab Episcopo, cui subditi sunt, si deliquerunt, verberibus etiam corrigi, puniri que posse, ex can. *Cum Beatus. 8. dist. 45. & can. ult. dist. 35. junctâ Glossâ. verbo Corporali* patet; non quidem quasi Episcopo liceret eum propriis manibus verberare, cum talis correctio non deceat dignitatem Episcopalem, sed per alium Clericum; ne si per Laicum talem verberationem fieri mandet, tam ipse mandans Episcopus, quam Laicus executor excommunicationem incurrat.

Prælati verò inferiores Episcopo etiam per se, respectu Clericorum sibi subditorum delinquentium exequi pœnam hanc verberationis possunt,

cum debito tamen moderamine, ut notabiliter excedant, pœnam excommunicationis incurrant; alij autem Clerici à percussibus illicitis etiam Laicorum, quòd abstinere debeant ex cap. *Si quis 1. h. 1.* habetur, ubi tales percussores, corripiendi sunt pro crimine, & si se non emendaverint, deponendi, cum Clericos magis deceat imitari mansuetudinem Christi, quam ut adeo inhumani & feri sint; & hinc Pontifex in cap. *Presentium 3. h. 1.* etiam eum Clericum Sacerdotem voluit per biennium à celebratione Missarum abstinere, qui in conflictu ex parte eorum, qui vim illatam repellebant, stetit, quavis terminem percussit ille, si tamen in eo conflictu occisi fuerunt aliqui.

T I T V L V S XXVI.
DE MALEDICIS.

§. I.

De maledicis, & maledictis in Papam & Imperatorem, corumque pœnis.

Maledicere in genere aliud non est, prout refertur ad homines, quam dicere malum aliquod de præfenti, vel de

præterito; & fieri hoc potest triplici modo: vel enuntiative affirmando malum de altero, vel imperio malum alicui infligendo, prout Iudex alicui malum dicit, dum pœnam innocenti infligi jubet, vel per modum optantis aut imprecantis alicui malum.

Præter

Pœna autem maledicentis Papæ, ex cap. 1. h. t. desumitur, quod sit arbitraria, juxta qualitatem personæ, verborum, loci, &c. ut ne alij in contemptum Ecclesiæ Romanæ in similia verba prorumpant: quâ pœnâ arbitrariâ puniendi etiam sunt illi juxta Canonistas, qui superiori quidem suo, inferiori tamen Summo Pontifice, maledicunt, si tamen in Ecclesiam redundet, maledica talis lingua, cum in causa suæ Ecclesiæ, competens iudex sit Prælati talis.

Si quis autem in Imperatorem, aut alium Principem supremum maledicam linguam exeruerit, hic pro arbitrio Principis talis puniendus est, prout volunt jura Civilia, cum in lege unica c. Si quis Imperatori maledixit. remittendum eum velint ad Principem talem supremum, si per injuriam, & malo animo eum maledixerit.

§. II.

De maledictione in Deum, & blasphemia in Sanctos, eorumque pœnis.

Quid sit blasphemia in Deum, ac Sanctos accuratius examinet Theologi morales, quos consule. Pœnæ autem in tales blasphemantes de jure Canon. statutz, quamvis multæ sint, & graves, uti videre est Levit. 24. v. 16. can. Si quis 10. can. 22. q. 1. & cap. Statuimus 2. h. t. vix tamen eorum videtur hodie esse aliquis usus, quamvis sub Leone X. in Conc. Later. 1514. renovatz illæ sint: quæ verò de jure Civili in tales blasphemantes constitutz pœnæ sunt, arbitratz hodie videntur.

TITVLVS. XXVII.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

§. I.

Qua sit pœna Clerici depositi ministrantis, vel exercentis actum ordinis, aut officij sibi prohibitus, & qua sit pœna

Clerici excommunicati, suspensi, vel interdicti celebrantis divina officia?

Quæ hoc Tit. dicuntur, rari u: us, & praxis sunt: ut notitia tamen aliqua circa hanc materiam habeatur, sciendum primò, quòd in cap. Si quis Episco-

pus 1. hoc. tit. quod est ex Canonibus Apostolorum desumptum, & in cap. 2. eodem statuatur, ut si quis Clericus justè depositus (verbaliter) actum ordinis, aut officij, à quo depositus est, exerceat, præcedente monitione, excommunicati debeat. Secundò sciendum, quòd Clerici excommunicati, suspensi, vel interdicti, si divina tamen celebrent, perpetuò sint deponendi ab officio, & beneficio, ut constat ex cap. Clerici 3. h. t. modò de cessatione ab hac temeritate moniti